


9802 I

TEOLOGIA

Mag. St. Br.

kal.komp



2 (21.75.)
SCHEDIASMATA INAVGVRALIA,
Quæ
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
DEO OPTIMO MAXIMO

atque

Consensu & autoritate

STATVVM ANGLIÆ

Sub umbone ac præsidio

Præpotentis

REIPVBLICÆ HOLLANDICÆ

Opponentibus

LVDOVICO XIV. REGE GALLIÆ

&

JACOBO II. REGE ANGLIÆ

Bigâ Tyrannorum

Pro summis in utroque Regno

MAGNO BRITANICO ET HYBERNICO

ritè capeffendis honoribus ac privilegijs Regalibus
publicè ventilabit ac defendet

WILHELMVS PRINCEPS ARAVSIONENSIS

Regni utriusque Candidatus,

in prædictorum Statuum Auditorio majori

WESTMUNSTER.

Editio secunda correctior.

Anno 1689.

51. 15

OMYAMOMI





F. R. N. S.

THEMATA.

Ex Grammatica.

- (1) An variare liceat per genera? N.
- (2) An Majestas sit generis Masculini, an verò generis Fœminini? Resp. Est generis Communis.
- (3) An τὸ SVPPONERE pertineat ad verba pathetica impersonalium, POENITET, PIGET, TAEDET, PVDET? A.

Ex Poetica.

- (4) An præstat genus Heroicum generi Valæfio (Borborio)? A.
- (5) An in procreatione sobolis locus quoque sit licentiæ poëticæ? N.
- (6) An censura dignus sit ille versus Nasonis: NON SOCER A GENERO, NON HOSPES AB HOSPITE TVTVS? N. Gaudet enim cæfura.

Ex Critica.

- (7) An vox PARLAMENTI offendat eruditorum aures? N. Etiamfi apud elegantioris literaturæ Antores non occurrat.

Ex Rhetorica.

- (8) An Pleonasmus sit tolerandus? N.
 (9) An tropus lateat in his verbis: A CANE NON MAGNO SÆPE TENETVR APER? A.

Ex Historica.

- (10) An Petrus sit Apostolus? A. Sed. cum addito, diaboli.
 (11) An Historia Magdalenæ d'Avermond digna sit admiratione? N. Nam hodiè ferè simile, si non idem, contigit quoque in conjugè Jacobi II. quippe quæ pariter concepit sine congressu alicujus mariti.

Ex Logica.

- (12) An doctrina Suppositionis aliquem præstet usum? N.
 (13) An ratio hæc sit à priori: RARO GENER EST BONVS, RATIO EST SOCER? A.
 (14) An prona sit consequentia à superlativo ad positivum? N. Sic enim Rex Galliæ est Christianissimus, & tamen non est Christianus.

Ex Metaphysica.

- (15) An LL. fundamentales Regni Anglicani recipiant magis & minus? N. Ratio est quia sunt ejus substantia. Neque igitur multò minus possunt adesse & abesse sine regni corruptione.

(16) An causa moralis per commissionem & causa naturalis in procreatione sobolis effectivè idem sint? N.

(17) An Princeps de Wallis sit Suppositum, an verò persona? A. utrumque.

Ex Physica.

(18) An detur vacuum? A. Jacobus enim thronum reliquit vacuum.

(19) An vera sit Plinii sententia de Leone, quod nempe CANTVM AC CRISTAM GALLI FORMIDET? N. Hodiè enim Leo non fugit, sed fugat gallum.

(20) An Philosophi Naturales in historia brutorum rectè quoque agant de Dauphino, sive, quod idem est, Delphino? A.

Ex Ethica.

(21) An definitio Justitiæ per arma bona sit? A.

(22) An Jus naturæ omnes omnino obliget homines? N. Fallit enim in Rege Gallix.

Ex Politica.

(23) An Rex Jacobus gaudeat adhuc magis absolutâ potestate, atque Rex Gallix? A. Planè enim absolutus est.

(24) An Regum quoque sit, æquè ac Politicorum est, tractare de corruptione Rerumpublicarum? N.

Ex Juridica.

(25) An per morbum gallicum, aut impotentiam conjugalem impeditis, quò minus possint generare sobolem, liceat agere per Procuratorem? N.

(26) An hodiè reviviscat ACTIO REI VXORRIÆ? A. Non obstante rubr. C. de Rei Vxor. Act.

F I N I S.



Hæc sunt, quæ disputabuntur.

Igitur Rex Liliger

accede cum Tuo Periscelidigero,
facque periculum in hoc periculo exercitis;

Ego me probabo in ictibus excipiendis,

& Vobis ostendam, qui Princeps sum;

Neque enim Ego,

impar Vobis potentiâ,

timeo Vos potentissimos Reges,

fretus omnipotentissimo Deo,

qui impotentibus adest;

sed potius certum est,

ad ultimum pro fide, eique cedente mori coronam,

ut vivere aliquando possim

coronandus in coelis.

Sive itaque vincam, sive vincar,

victor abibo,

& coronam reportabo.

Vos verò,

Sive vincetis, sive vincemini,

victi abibitis.

Ad arma itaque ad arma!
 Nam instat actus inauguralis,
 ad quem disputaturi convocantur
 non à campanis, sed à tubis & tympanis.
 Non ad audiendum, sed spectandum
 pugnandumque.

Et ubi principia communia,
 è quibus disputandum,
 erunt bombardæ, tormenta atque
 mortaria,

contra quæ impingere haud
 impunè licet;

Propria verò principia
 FORTITVDO & PIETAS erunt.
 Syllogismi, inquam, omnes neſtentur
 in modo FERIO
 quorum Conclusionem neceſſariò

ingreditur

SANGVIS atque MORS.

Sophismata verò ſtratagemata erunt

& Finis

P A X.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0020249

